

DISSERTATIO
DE RERUM FENNICARUM Scriptoribus

ANTE CONDITAM ACADEMIAM ABOENSEM;

CUJUS PARTEM PRIMAM,

IN UNIV. LITER. ALEXANDR. FINLANDENSI
VENIA AMPL. ORDINIS PHILOS.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT,

A U C T O R

G A B R I E L R E I N ,

Phil. Doctor nec non Historiarum Docens ,

E T

R E S P O N D E N S

M A T T H I A S A K I A N D E R ,

*Linguæ Russicæ Translator ,
Wiburgenses .*

In Atrio Ven. Capit. Ab. Majori die XXIX Martii
MDCCCXXVIII.

h. a. m. c.

tibus litteris demandata, posteris relinqu potuerunt. Quo autem memoriam rerum sibi memorabilium servarent majo-
res nostri, easdem carminibus, sic dictis Runis, a patre ad
filium indesinenter ore propagatis, decantasse & celebrasse
videntur; submissis vero deinde imperio Svecorum, paulla-
tim conticuerunt poëtæ, & oblivioni tradita sunt carmina,
haud raro indefessa sacerdotum Christianorum opera, o-
mnem præteriorum temporum recordationem e mente Fen-
norum eruere studentium, unde factum, ut quædam tantum
carminum reliquiæ, deorum quodammodo cultum explican-
tes, ideoque apud nostrates cum eximia caritate in memoria
usurpatæ, nobis restiterint, quæ insimul moribus majorum ali-
quatenus demonstrandis & illustrandis inserviunt. Carmina e
contrario magis historici tenoris ita plane perierunt, ut non-
nulli occasionem inde sibi sumserint contendendi, Fennis talia
numquam fuisse 3). Cum tamen adhuc, interioribus terræ
partibus, poëtæ non desint, qui quamcunque fere rem magis
memorabilem metrice decantent, haud a vero abludere vi-
detur, fata Fennorum antiquiora simili modo fuisse celebrata,
præsertim quum gentium vicinarum monumenta satis prodant,
rés memoratu dignissimas e. c. bellicas expeditiones in Rus-
siā & Sueciā a nostratis fuisse susceptas, quæ certe
ansam poëtico ingenio excolendo præbere potuerunt, vixque,
ob hancce gentis nostræ in cantu & poësin inclinationem,
vate caruerunt. Ut cunque tamen fuerit, præter carmina lau-
data nihil prorsus reliqui nobis restitut; quibus ubi adda-
mus, quæ e diligentiori ipsius linguae Fennicæ studio in emol-
lumentum historiæ nostræ hauriri potuerunt, antiquorum fon-
tium indigenorum catalogus est absolutus. Occurrit quidem
nomen Fennicum jamjam apud Tacitum & Ptolomæum, ob-
venit Enningia, quam Fenniam nostram significare putarunt
interpretes, apud Plinium Majorem, enumerat Adamus Bre-
men-

3) Obvenit hæc sensentia in commentatione eximia: Om Finsk Nationalitet. Mnemos. för 1819 p. 242.

mensis gentes, inter Sveciam & Russiam, in hodierna patria nostra, suo tempore, habitantes, neque alii medii ævi scriptores omni de majoribus nostris carent cognitione. Creberima tamen de majoribus testimonia apud Russos & Scandianos sunt conquirenda: antequam namque Sveciæ subjecta erat patria, nomina Fennorum Tschud & Jem in Annalibus Russicis obveniunt commemorata, & Sagæ Islandicæ varia Fennis cum Scandianis interfuisse commercia testantur. Omnes vero Scriptores hice partim ita rem tractarunt, ut dubium remanserit num de majoribus nostris, vel de alio populo eodem nomine significato fuerit sermo, partim, haud ex instituto fata nostratum explicaturi, breviter tantum & prætereundo populares tetigerunt, unde neque nos rerum Fennicarum Scriptoribus proprie sic dictis eosdem annumerabimus, verum istos tantum catalogo nostro inseremus auctores, qui majorum res gestas præ aliis describendas sibimet proposuerunt. Tales viri, introducto dominio Svecano, e popularium tantum ordine vel e Svecis, arctissimo, tunc temporis, cum nostratis conjunctis nexu, prodierunt. Quum autem externæ a victoribus usurpatæ linguæ, Latialis scilicet, a sacerdotibus in cæremoniis, ad cultum divinum pertinentibus, faciendis, & Svecana, a præfectis tam civilibus quam militaribus in usu quotidiano & in muneribus satisfaciendis, nostrates a cultura advenarum diu alienatos tenebrent, vix aliquis primis imperii Scandiani temporibus extare potuit e popularium ordine rerum nostrarum descriptor. Quidquid vero sacerdotes, unici ejusdem ætatis artis scriptoriæ periti, de conditione tunc temporis Fennorum, atque de occupatione & fatis Fenniae prolixiori forte narratione litteris demandaverint, quodque forsan deinde populares, quam primum diligentia & studio eruditionem advenis similem adepti erant, de patriæ statu & majorum rebus gestis posteris relinquere voluerint: incendiis, bellis aliisque casibus iniquis ita jamjam perierunt 4), ut e diuturno, quo per Fenniam

4) Vid. Rev. P. J. Alopaei Specim. Historiae Litterariae Fenni-

valuit doctrina Romano-Catholica, tempore, unicum tantum, idque breviusculum, antiquitatis monumentum ad nostram pervenerit ætatem.

Est nimurum hocce: "*Fragmentum Chronicorum Episcoporum Finlandensium*" cura Cel. Porthan, in opere "*Sylloge Monumentorum, ad illustrandam Historiam Fennicam pertinentium*" inscripto, brevibus appensis notulis, a p. 5-15 excusum ex apographo seculo, ut videtur, XV confecto, & in Schedis Palmskoldii, quas possidet Bibliotheca Regiae Academiæ Upsaliensis, servato; consultis insimul alio apographo ejusdem operis, posterius confecto & altero *Episcoporum Finlandensium Chronicis* inferius ex instituto afferendo. Antiquissimum quoque Fragmenti hujuscce exemplum, nobis conservatum, apographum esse, nec architypum, e variis nominibus, omnino perverse scriptis, qualia nullo modo e calamo auctoris elabi potuerunt, e. c. Eillilo, (p. 4) pro Kiulo 5), Denis (p. 12) pro Senis, satis superque appetet. Envmerat undeviginti priores Ecclesiae Fennicae antistites, a S:to Henrico ad Conradum Bijdz, appositis quibusdam, iisdemque, imprimis ubi antiquiora tangit tempora, brevissimis, in summa tamen, qua laboramus, monumentorum penuria minime contemnendis, de vita & factis eorum indicis. Quamquam nullibi de antiquitate operis expresse reperiatur adnotatum, ipse tamen contextus ansam præbet colligendi, non uno tempore nec ab uno viro, verum pedetentim a pluribus conscriptum esse Fragmentum nostrum. In vita Sancti Henrici jamjam mentio fit translationis exuviarum ejusdem e parœcia Nousensi Aboam (p. 4); quæ cum fieri non potuit ante confectam anno 1500, ætate Episcopi Magni I,

Ec-

cae. Partt. IV. Aboae 1793-95. p. 2-7. Idem quoque jam testatur Juostenus l. c. p. 10.

5) Ita emendat Porthan, legi tamen etiam potest: "sequenti yeme "(hieme) Lallio (pro Eillilo) martyrizatur."

Ecclesiam Cathedralem Aboensem, ubi ossa Si hujusce Fennorum patroni desposita sunt, neque Chronicus nostri origo in tempus magis remotum differri potest. Ad antiquitatem vero ejusdem proprius definiendam, verba in vita Katilli, circa annum 1270 cathedram Episcopalem obtinentis, "in Råntämäki plerosque Episcopos esse sepultos" occasionem praebent. De hocce Episcopo & duobus ejusdem proximis prædecessoribus Berone I & Ragvaldo I expresse enarratur eos ibidem fuisse sepultos; successor vero Katilli, Johannes sedi Archiepiscopali Upsaliensi promotus est, & Magno I jamjam, aequo ac Ragvaldo II & Benedicto tumuli in templo Aboensi sunt exstructi; non igitur de plerisque (plurimis) in Råntämäki sepultis Episcopis facile post obitum Benedicti loqui potuisset auctor, quia aequalis jam eorum numerus Aboæ humatus erat; neque vocabulum "plerique" heic in universum significatione "magni numeri" intelligerem, quia tantum de tribus erat sermo 6). Unde ante obitum Benedicti, igitur inter annos 1300 & 1340, ortæ nobis videntur haec pagellæ. Certe usus Episcopis in parœcia S:æ Mariæ sepulcra parare jamjam desierat, quum necessarium duxerit auctor ejus rei separatim mentionem facere 7). Continuatorem operis mox

post

- 6) Credibile videtur antiquissimam Episcoporum Finländensium sedem fuisse in vicinia Templi S:tae Mariae (Råntämäki); unde etiam tertius nostratum Episcopus Folquinus ibidem forte sepultus est; quae res tamen Chronicus auctori ignota fuisse videtur, quia eam commemorare omisit. De ceteris omnibus autem contrarium notum est: S:to Henrico namque ad templum Nousense sepulcrum exstructum est; alter Rudolphus a Curonibus abductus & interfactus est; quartus vero Thomas Wisbyæ in Gothlandia vitam finivit.
- 7) Inſitiandum quidem non est, locum huncce *de plerisque Episcopis in Råntämäki sepultis*, cui opinionem nostram de antiquitate operis superstruximus, suspectum quodammodo vi-

post obitum Magni II Tavast, anno 1452 emortui, vixisse, inde apparet, quod non tantummodo res gestæ ejusdem fuisse quam antecessorum facta enarrantur, verum etiam ætatis annus ipseque sepulturæ dies significatur & insuper verba adduntur "ejus mortem tota deflet Finlandia (p. 10, 11)": quod tantum de viro recenti adhuc posteriorum memoria culto & venerato dici potuit. Tribuitur quidem in hacce Chronicæ sectione Episcopo Hemmingo cognomen Sancti (p. 8, 9) unde, qui litterarum formam in apographo obvenientem, & seculum XV prodentem, utpote testem minus certum negligit, forte colligeret, post consecrationem deum ejusdem, anno 1514 peractam, eandem esse conscriptam; cum tamen Hemmingus ob eximia sua in Ecclesiam Romano-Catholicam Fennicam merita singulari posteriorum semper coleretur veneratione, nomine Sancti ab auctore salutari potuit, etsi solenni pompa in Sanctorum numerum nondum erat inauguratus, æque ac Henricus, primus nostratum Apostolus, ab ipsis Pontificibus ea dignitate honorabatur, quamquam de publica canonisatione ejusdem unquam facta, nulla reperiuntur vestigia 8). Si præterea post consecrationem Hemmingi vixisset auctor, in ipsa ejusdem vita rem tam memorabilem haud prætermisisset, cuius vero ubi haud minima obvenit notitia, colligere licet, auctoris atatem hocce præcessisse tempus, & quidem ob caussas jam adlatas in medium incidisse seculi XV:i. Quæ deinde adhuc restat, descriptio nimirum rerum gestarum Episcoporum Olavi & Conradi (Koort) Bijdz (cuius vitae tamen ultimam partem, æque ac successorum ejusdem vitas, in hocce Chronicæ forte æqualiter tractatas, ini-
qua

sum fuisse Cel. Porthan, sed tantum eo ex capite, quia aegre sibi persuasit, sensim conscriptum esse Chronicum, quum vero aliis quoque inferius afferendis documentis eadem sententia probetur, haud dubitavimus verba hæcce, utpote ab ipso auctore confecta, considerare.

8) Cfr. Porth. ad Juust. p. 157.

qua nobis inviderunt fata,) quo tempore conscripta sit, ad annum quidem definiri non potest; virum tamen fidei Catholice addictissimum ejusdem fuisse atiectorem, ipse contextus & enarrandi modus luculenter produnt, unde vel in fine seculi XV vel initio sec. XVI eadem orta esse videtur, cui rei probandae litterarum quoque, eandem prudentium ætatem, inservit forma. Tribus igitur diversis auctoribus totum hocce opusculum originem debere in confessu habemus: primo scilicet priori parte seculi XIV, altero circa annum 1452, tertio c. a. 1500 florentibus 9). Soli fere ejusdem temporis, præsertim in nostris regionibus, litterarum periti erant sacerdotes, unde jam colligas Chronicum quoque nostrum eosdem habuisse auctores; cui rei confirmandæ insigniter quoque inservit tam materia quam tractandam sumserunt, qvam enarrandi & proponendi modus. Certiorem vero de auctoribus hisce non habemus cognitionem, præter quod Juostenus, qui in concinnando opere suo hocce sine dubio usus est chronicus, a Prædecessoribus suis indicia hæcce de fatis Ecclesiæ Fennicæ relicta esse testetur (l. c. p. 9); quo vocabulo vel sacerdotes in universum, & quidem Canonicos Ecclesiæ Aboënsis, uti suspicatur Cel. Porthan, vel potius Episcopos ipsos, utpote veros suos prædecessores Episcopum indigitasse credas. Templo Cathedrali proximos fuisse auctores e plena de eadem cognitione, qua ipsum locum, ubi quisque Episcoporum sepultus est, indigitant, & industria qua præter vitas Antistitum, Ecclesiæ insimul exponere student fata, quoque appetet. Ex allatis jamjam quodammodo illucescat quidnam de usu Chronicæ nostri ad antiquitatem Fennicam indagandam sit judicandum: in rebus scilicet gestis Epi-

g) Cel. Porthan, etsi, Chronicum hocce semsim exortum esse, vix sibi persuaserit, nihilominus profitebatur, loca a nobis indigitata ejusmodi sententiae amplectendae præbere ansam. Crf. notas ejusdem Chronicæ typis excuso suppositas.

Episcoporum præcipuis exponendis, & fatis Ecclesiæ Cathedrals enarrandis, quum solummodo versetur, alia omnia quæ ad Fenniam nostram pertinent eatenus tantum tangit, quatenus ad rem propositam illustrandam aliquid conducunt; sic e. c. de irruptionibus Curonum enarratur, quia Episcopus Rudolphus ab iisdem captivatus (p. 4) & Thomas "propter eorum furorem" Gothlandiam confugere coactus est (p. 5); "depopulationis per Ruthenos factæ" fit mentio, quia eadem acta ad historiam Folquini pertinencia perierant (p. 5), vel ecclesia Aboënsis est spoliata (p. 7). Summam præterea Chronicci conscribendi pro genio temporis in iis posuisse videntur, quæ ad splendorem & gloriam ecclesiæ Catholicæ apud nostrates fundatæ aliquid conducere possent; sic miracula S:ti Henrici (p. 4), momentum nativitatis S:tæ Birgittæ Benedicto revelatum (p. 7), horæ de Sancta Cruce per totam diœcesin ab Episcopo Magno Tavast *legi mandatæ* (p. 10), aliaque similia utpote res maximi momenti narrantur; quæ vero multo graviora nobis videntur: quomodo & quibus Episcopis unius Dei cognitio paullatim per totam disseminata sit Fenniam, quibus usi fuerint ad opus hocce perficiendum adjutoribus, veram doctrinam populo proponentibus, æque ac qualem sese præstiterit novis advenis populus noster, omnino silentio transeunt. Non tamen ejus rei culpam tam auctoribus Chronicci, quam potius rationi ætatis qua vixerunt tribuerem, uti ex omnibus rem Ecclesiasticam medio ævo tractantibus scriptoribus colligi potest. Nihilominus haud contemnendam opus hocce, in spissis quibus res nostræ antiquæ obruuntur tenebris, spargit lucem ad fata majorum remotis istis temporibus collustranda, & quamquam Juosten, in concinnando opere suo, hocce præsertim usus est Chronico, nonnulla tamen in eodem obveniunt indicia apud Juostenum desiderata, eo magis æstimanda, quo majorem toti operi habere debemus fidem. Ipsa namque ejusdem brevitas jamjam demonstrat, non fuisse consilium auctorum ex ingenio aliquid enarrare, verum certis antiquitatis testimoniis superstrutum

ctum opus conficere; profitentur etiam aperte, de quorum Episcoporum fatis nulla reicta erant documenta, omittunt sæpiissime anni notas ob defectum certæ de tempore cognitionis, & in iis tandem, ubi eadem ac alia antiquitatis monumenta exponunt, sæpiissime cum iisdem conveniunt. Colligi igitur potest, auctores nostros veritatis fuisse studiosissimos, iisdemque maximam tribuendam esse fidem, quippe qui non nisi ipsi falsis decepti nunciis a vero aberrarunt.

Praeter Fragmentum Palmskoldianum, aliud quoque Junsteni tempore exstitisse videtur documentum ab eo in opere suo concinmando consultum, breviculum quidem, non tamen omni pretio destitutum: in describendis namque duorum primorum Episcoporum vitis omnino cum Fragmento jam laudato convenit; quo longius autem in narrando procedit, eo crebrius nova quoque occurrunt additamenta. Non unicum tantum se consuluisse opus, ipse quoque testatur, dicens: "nomina sese & vitas Pontificum collegisse, sicut Prædecessores sui eas antea descriptas post se reliquerant" (p. 9). Hocce vero documentum, æque ac multa alia, adversis fatis nobis est erectum, neque ulla præter jam adlatum, in historicam formam redacta, e medio ævo nobis sunt conservata opera. Defectui tamen huicce compensando aliquatenus inservit silva documentorum, historiæ conscribendæ insignem afferens opem, etsi non proprie ad res nostras indagandas, verum omnino alio consilio congesta, nec nisi senioribus demum temporibus vetustati nostræ illustrandæ exhibita. Erat nimirum mos sacerdotum Catholicorum a Pontificibus, vel Regibus concessa privilegia, cum aliis inita pacta, Ecclesiæ vel sedi Episcopali impetrata emolumenta etc. libro cuidam apud Ecclesiam servato confidere exarata, ut in posterum possessiones & jura semel acquisita tutarent atque munirent. Ejusmodi librum privilegiorum, *Abo Domkyrko Svartbok* vulgo appellatum, Templum quoque possedit

dit Aboënsse, ad annum usque 1669 ibidem asservatum 1), deinde in Archivum Antiquitatum Regni Svetici, nunc autem in R. Bibliothecam Holmiensem translatum. Ex eodem architypo nitide describi curavit alind exemplum Cel. Porthan, a nobis in pagellis praesentibus concinnandis consultum. Überrimum huncce antiquitatis nostræ fontem silentio transire noluimus, quamquam non historicæ formæ est adaptatus, neque historicis operibus proprie sic dictis adnumerandus, quia maximam rebus nostris antiquis spargit lucem. Continet namque collectio laudata sexcenta circiter & quinquaginta varii argumenti documenta, Ecclesiam Cathedralem Aboënssem ejusque Antistites vel immediate vel mediate tangentia, ab exordio inde seculi XIII, ad initium usque seculi XVI:ri exarata. Reperiuntur in eadem bullæ Papales a Gregorio IX, Innocentio IV, Alexandro IV, Nicolao IV, Bonifacio VIII, Johanne XXII, Benedicto XII, Innocentio VI, Urbano V, Gregorio XI, Urbano VI, Martino V, Eugenio IV & Sixto IV in lucem emissæ, antiquissima A:o 1229, novissima 1483; litteræ Regiæ a Magno Erici, Erico XII, Haquino, Alberto, Erico XIII, Christophoro, Carolo Canuti, Christierno I, seculis decimo quarto & quinto datæ, quibus accedunt alia ab Episcopis, judicibus, omnisque in universum ordinis hominibus conscripta documenta, edicta nimirum episcopalia, iudicia, tabulae immunitatis, donationis litteræ, emtionis & venditionis pacta & sic porro. Aetate novissimum documentum A:o 1513 est exaratum, ita ut tempus Catholice per Feniam valentis fidei hand antecedat, neque antiquissimum 1229 annum aetate superat. Epistolarum Episcopaliū antiquissima A:o 1503 demum exarata, ab Episcopo Magno I in lucem est prodita. E magno hocce monumentorum numero, plurimum, quod ad historiam attinet indagandam, pretii bullis papalibus, nonnullisque mandatis regum & edictis episcopaliibus tribuerem, quæ scilicet non modo Ecclesiæ Cathedra-

1) Cfr. Abo Tdng. f. 1782, N:o 32.

— 11 —

dralis statum, sed rerum nostrarum conditionem in universum persæpe magnum in modum illustrant. Quod ad tempora antiquiora, seculumque imprimis decimum tertium attinet, bullæ papales soli fere ubiores sunt indigeni fontes, quorum ope, consultis insimul scriptorum Russicorum testimoniis, abditæ istius ætatis res gestas aliquatenus describere valeamus. Litteræ autem regiæ ubi res gravioris momenti, e. c. mandata & edicta magnam partem vel totam Fenniam tangentia, continent, maxime quoque sunt æstimandæ, immo bullis papalibus anteponendæ, utpote distinctiorem patriæ prodentes cognitionem. Ejusmodi sunt e. c. lex Haquini A:o 1362 data, qua legifero Finlandiæ & duodecim ad comitia celebranda e Fennia missis viris jus regem eligendi triluitur (Fol. 59. Cfr. Åbo Tidn. f. 1784, N:o 20); institutio supremi in Fennia judicii provincialis (Landzrett j Österlandom j Åbo Biscopsdöme) per Ericum XIII, Anno 1355 (Fol. 58. Åbo Tdng. f. 1785, N:o 45); aliaque ejusdem tenoris. Plurimæ tamen harum epistolarum regiarum res tractant, historico, fata Fenniæ in universum consideranti, minus respectu dignas, quales sunt donationum & immunitatis a vectigalibus tabulæ, singulis ad Ecclesiam Cathedralem vel ejus antistites pertinentibus prædiis concessæ; quæ tantum rebus ecclesiæ œconomicis illustrandis inserviunt. Minoris quoque ad historiam indagandam pretii sententiae sunt a judicibus latæ, libroque in nostro asservatæ, æque ac donationum per homines privatos factarum, emtionis venditionisque litteræ aliaque pacta inita; nisi quod insimul juris dicundi tunc temporis usitatum modum & pecuniæ valorem qualitercumque illustrent, nec non viros muneribus civitatis quoque tempore fungentes, Praefectos, Legiferos, Judices territoriales aliosque notos faciant. Congestum est horreum hocce absque ordine Chronologico, ita ut litteræ eandem rem tangentes sœpissime uno loco reperiantur conscriptæ. Bullæ papales, in eodem obvenientes, quamquam dudum jamjam

bullariis manu scriptis ab Örnhjelmio & Peringskoldio collectis 2) maximam ad partem insertae, typorum ope tamen, paucis exceptis, publici non factae erant juris ante etatem Nob. Celse, qui, in Recensione sua bullarii Sveo-Gothici, bullas quoque e libro nostro haustas sibiique notas brevi sumario attulit; ab eo vero omissas Cel. Porthan Accessioni suae ad recensionem bullarii Romano-Sveogothici Celsiani inseruit. Præterea in Sylloge Monumentorum, ad illustrandam historiam Fennicam pertinentium, haud exiguum bullarum copiam, æque ac varias litteras Regum aliorumque, scitu dignas, e libro privilegiorum erutas, in extenso, ut ajunt, typis imprimi curavit; & permagnus Svetico idiomate horum documentorum conscriptus numerus in Hebdomadalibus Aboënsibus, ab anno inde 1771 editis, occurrit excusus. Totam vero collectionem nostram consuluit & publice promulgavit idem historie patriæ parens, Porthan, in conscribendis Annotationibus ad Juusteni Chronicum, monumenta reperta partim summatim, partim in extenso illustrandæ antiquitati nostræ adhibens. Nihilominus fons hicce uberrimus futuris quoque rerum nostrarum scrutatoribus, plurimam suppeditabit copiam, unde silentio eundem transire non potuimus.

Etsi in conscribendis pagellis præsentibus eos tantum commemorare auctores in animo erat, qui ex instituto res Fennicas exponere sibi proposuerunt, opus tamen haud reticendum duximus, ab Archiepiscopo quondam Upsaliensi, OLAO MAGNO, compositum, de rebus nostris tam copiose tractans, ut si fides ejusdem cum amplitudine conveniret, haud immerito eidem locus in primariis antiquitatis nostræ fontibus tribuendus esset. Auctor, Archipræpositus Strengnæsiensis tempore introductæ in Sveciam per Gustavum I doctri-

2) Afferuntur in Warmholzii Bibliotheca Historica Sveo-Gothica
T. IV p. 148 sq.

trinæ evangelicæ, novis rebus haud favens, una cum fratre Johanne Magno, Archiepiscopo Upsaliensi, Sveciam relinquentis, Romæ perfugium nactus est. Fratre autem A:o 1544 demortuo, a Papa Paulo III dignitati Archiepiscopali Upsaliensi admotus, Tridentino concilio intersuit, numquam tamen Sveciam revisit, verum in Europa meridionali commorans otium scientiis colendis adhibuit & anno 1555 opus: "Historia de Gentibus Septentrionalibus, earumque diversis "statibus, conditionibus, moribus, ritibus, superstitionibus, "disciplinis, exercitiis, regimine, victu, bellis, structuris, "instrumentis ac mineris metallicis & rebus mirabilibus, nec "non universis pene animalibus in Septentrione degentibus "eorumque natura" etc. inscriptum, Romæ in lucem emisit 3). Obvenit igitur heic, ut jam e titulo apparet, in viginti duobus libris, descriptio omnium rerum memorabilium, quarum auctor habuit notitiam, in regionibus borealibus occurrentium, quas præeunte Plinio Majori, ob incomptam magnitudinem, alterum orbem appellat noster, annumerans incolis ejusdem Lappones (Biarmiis, ut videtur, hoc nomine quoque comprehensis), Moscovitas seu Russos, Fennigos, Svecos, Gothos, Norvegianos & Germanos advenas, "diversis rerum mercimoniis intentos" (Lib. IV. cap. 10). Res explicatui subjectas ita in ordinem disposuit, ut omnes ejusdem indolis per totam plagam aquilonarem dispersas una describat serie, unde memorabilia unius terræ per totum opus sunt conquirenda; neque in iis solummodo subsistit, quae in quoque libro exponenda sibimet proposuit, verum etiam multa alia, laxissimo sepe nexu cum rebus quæstioni submissis conjuncta, exploranda sumit. Quam magni aestimatum sit olim opus hocce, variae ejusdem editiones, epitome & versiones in linguis Italica, Gallica, Anglicam, Germanicam & Belgicam confectæ, quas Ampl. Warmholz

3) Cfr. Epistolam quam dicunt Dedicatoriam operi praemissam et Warmholz l. c. Tom. III, p. 160.

holz (l. c. T. III. p. 146—159) annumerat, jamjam demonstrant, quibus accedit testimonium Messenii (Scondia Illustr. T. V, p. 110): "Externis fuit illud (opus Olai) nationibus propter materiæ varietatem, raritatem, jucunditatemque adeo gratum, ut quædam illud gentes crebro excuderint, aliæ in varias redegerint Epitomas, reliquæ in vernaculum trans-tulerint sermonem. Nec alii mortalium istud mendacii arguunt, quam qui Scondianorum ignorant antiquitates, & admirandam prisorum ætatem ex moderna imprudenter aestimant." Longe aliam produnt mentem qui senioribus temporibus opus judicio subjecerunt, in iisque Ampl. Warmholz (l. c. p. 159) qui sententiam affert Pracl. Noberg e Diss. de meritis & fatis Jo. & Ol. Magnorum, P. II. Ups. 1745, p. 50: "Si quid res est dicamus, dubitari vix poterit, quin in tradenda naturali Septentrionalium regnorum historia, anilibus fabulis, ut erat Papizantium ejus ævi sacrificulorum cœca superstitionis, nimis credulus noster Olaus, prodigiis rebusque portentosis utramque paginam impleverit; in politica historia vix quisquam adecuratior annalium Sueo-Gothicorum indagator ad nostri auctoritatem hodie provocare audet;" omnique in universum auctorem nostrum fide censet indignum. Aliquantulum faventius de opere judicat Nob. Lagerbring, qui aliquam veritatem cum fabulis intertextam in eodem ocurrere testatur 4); neque meritis nugis istud compositum credit Cel. Rühs, qui in operibus suis ejusdem testimonio enarratorum fidem interdum confirmat. Ut nostrum de Olao statuamus judicium, præsertim quantum Fenniam tangit, opus ejus, diligentius consideremus necesse est. Qui mappam geographicam operi præmissam inviserit, persuaderi jam potest, omnino perversam de situ provinciarum Fennicarum nostrum sibi suxisse ideam: sinus namque patriæ contermini utrique boream versus porriguntur,

4) Lagerbring Sammandrag af Svea Rikes Hist. D. II, s. 53.

tar, quibus, majori ab occidente, minori ab oriente⁷ in modum peninsulæ includitur Fennia; ordo autem præfecturarum a meridie ad boream hæc est: Finlandiam proprie sic dictam, excipit Tavastia, tum Nylandia boreæ propior, mari Bothnico contermina, quam subsequuntur Bothnia orientalis & Carelia; fine patriæ aquilonari ad mare Album collocato, insulis vero Alandensibus meridiem versus a Fennia positis. Alteram sinus Fennici oram tenet Moscovia (Russia); Esthia (Estonia) vero, ab eodem omnino exclusa, mari Baltico adjacet. Ubi autem terrarum, patriæ suæ vicinarum partimque eidem subjectarum tam mancam habuit auctor cognitionem 5), haud mirandum eundem minus adhuc fuisse edoctum de situ terrarum remotiorum, & e. c. aquarum communionem credidisse intervalentem inter Pontum Euxinum & Caspicum mare ex una, & mare Balticum ex altera parte "per vastissima flumina Moschoviae" æque ac "plures specus "subterraneosque meatus," teste adlato Strabone, ita ut pisces peregrini secundum easdem vias sinum Fennicum Livo-nicumque ingredierentur (Lib. XX. cap. xxiii). Aequaliter terras abditiores nimis septentrionem versus sitas fuisse existimat, Bothniam scilicet sex mensium, Russiam & Livoniam trium mensium perpetua luce & *oppositis* tenebris esse instructas, contendens (Lib. IV, cap. ix). Quæ de animalibus borealibus narrantur, sæpe quoque produnt, auctorem eadem non ipsum vidisse, neque studio naturæ perfecto, verum e rumore tantum cognovisse, neque eo prædictum fuisse ingenii acumine, ut falsa a veris discernere potuisset indicia; unde e. c. rangiferis tria adscribit cornua (L. XVII, cap. xxvi),

5) Nisi forte ex inscrip*tio*n*e* chalcographi, qui mappam geographicam confecit vitia hæcce emanaverint. Eadem omnino praewissa quoque est Gothorum Sveonumque Historiae a Johanne Magno conscriptae (Praefat. Cap. VI), qui tamen recte provincias Fennicas in ordinem disponit, earumque designat terminos (Praef. cap. V).

xxvi), fabulas antiquorum de gryphis (XIX, xxvii), de gruibus homines infestantibus (II, xi), & de cetis monstrosis totas naves deglumentibus (XXI, vii) credulus repetit, neque in verba magistri jurare dubitat, puellam afferens ab ursa raptam, & procreatum ex eo filium (XVIII, xxx), vel homines in lupos conversos (XVIII, XLVII). Quanta in universum superstitione imbutus fuerit noster, expositiones ejus de variis rebus præstigiarum & incantationum ope peractis, de divinatione, de pileis ventos dirigentibus, de nodis magicis a Fennis, ad felicem ventum obtinendum mercatoribus vendi solitis, de oculorum ludificandorum peritia Bothniensem, de veneficis marinis, de muliere malefica e claustru Britannico per dæmonum potentissimum, omnibus claustru incolis intuentibus, abducta, de variis dæmonum ministeriis (Lib. III, passim), aliaque ejusmodi argumenti atque pretii luculenter demonstrant. Credas tamen eidem ipsi fidem enarratorum minus certam visam fuisse; semper enim exempla, ab aliis auctoribus tradita, fabularum suarum veritati corroborandæ affert; quæ e. c. de gryphis agit, Isidori & Solini, quæ de gruibus, Plinii & Homeri, quæ de ventis venditis ipsius historiæ patris Herodoti auctoritati innituntur. Quamquam vero credulitate & superstitione, interdum etiam rerum borealium exornandarum studio, (sic e. c. urbis Visbyæ ruinas marmoreas fuisse contendit, L. II, cap. xxiv,) in errorem abductus sit noster, multifaria tamen ab eodem tradita aliorum fide dignorum scriptorum testimoniis quoque conveniunt, aliaque nostro adhuc aeo talia occurrunt qualia ab eo describuntur. Quis hodiernas interioris Fenniæ incolarum domos non agnoscit, de cuneatis canalibus in culmine tecti ad fumum emittendum instructis (Reppåna) legens; vel quis tædas pineas (abietinas) candelarum loco adhibitas apud populares nostros non vidit (L. II, cap. xvii)? quis non concedit Fenniam hodienum infinitis gaudere laeibus (Lib. II, cap. xix)? Portus promontorii Hangö nostris adhuc laudatur temporibus 6); insignia monti incisa, quorum mentionem fecit

6) Vid. Tunelds Geogr. öfv. Sverige; 7:de Upl. Del. III, p. 449.